



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio V. Vtrùm Deus præceperit Christo mortem subire?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

reum leui suo incommodo eripere è manibus carnificis, non tenetur: quia iurisdictione qua pollet, iuste illum potest tradere tortori: priuati autem tenerentur, si possent absque graui suo & reipublicae incommodo: Dei autem iniurias ita vindicaret Christus, vt potuit Pater, qui non iudicat quemquam, sed eam potestatem dedit Filio, vt homini

SECTIO V.

Vtrum Deus praeceperit Christo mortem subire?

§. 42. **D**Eus non praecepit Christo, vt se interimeret, nec item vt Iudaeos vrgeret ad sui necem: non ergo disputo vtrum Deus praeceperit Christo necem, nec aliquid directe ad eam utile. Deus hac potuit praecipere Christo. Primum, ne suo corpori communicaret impassibilitatem (si est qualitas.) Secundum, ne deluderet sensus eorum, qui eum vellet occidere. Tertium, ne illos terreret, ita vt non auderent ei manus inferre. Quartum, ne illos fugeret. Quintum, vt ijs praedicaret, exprobraret peccata in ijs occasionibus, in quibus illi videbantur per scientiam conditionatam occasionem arrepturi ad ei inferendam mortem, quam tandem ipse expectaret, & quantum est ex parte sui, eam acceptaret. Est igitur quaestio, vtrum Deus hac praeceperit Christo? an verò ipse nullo praecepto adstrictus se ijs obtulerit, videns homines nulla alia ratione iri redemptum?

S V B S E C T I O I.

Conclusio & auctores.

§. 43. **D**ico igitur, Christum praecepto Dei, vt distinguitur à consilio, ea excepisse. Hæc conclusio apud Scholasticos est communis. S. Thomæ q. 47. art. 2. comparantis obedientiam Christi cum Adami inobedientia. Nec dubium esse potest à B. Thoma censi, Christo datum de morte mandatum & praeceptum, quæ apud B. Thomam non significant consilium, aut supererogationem. Caietanus autem opinatus in 2. 2. q. 104. non esse obedientiam propriam nisi circa obiecta praecepta sub peccato, ait totum articulum esse clarum. mens B. Thomæ de obedientia non est admodum clara in 2. 2. qu. 104. at inde & ex alijs locis liquet, simplicem voluntatem Dei, quæ est consilium, non dici à B. Thoma praeceptum atque mandatum. Idem docet in cap. 5. ad Rom. lect. 2. ante finem: lect. autem 5. in fine ait: *Obedientia autem Christi hic dicitur, secundum quam praecepto Patris obediens mortem sustinuit pro salute nostra.* Item ad Philipp. 2. lect. 2. sine ait de Christo: *Sed quædam magna & commendabilis sit hæc obedientia, sit, quia tunc est obedientia magna, quando sequitur imperium alterius contra motum proprium.* at ibi S. Thomas intimationem voluntatis vocauit imperium. in 4. autem contra Gent. cap. 55. num. 13. ait: *Non est autem procul hoc à vero, quod Filius Dei incarnatus obediens praecepto Patris mortem sustinuit secundum doctrinam Apostoli: praeceptum autem Dei est ad homines de operibus virtutum, &c.*

§. 44. Ab eadem sententia sunt omnes ferè Scholastici, vno aut altero excepto, aut ponentes,

aut probantes, Christum praecepto Patris ad necem adstrictum. qui omnium optimè disputat, est Cardin. Tolet. in Ioan. 5. 10. in ea verba: *Hoc mandatum accepi à Patre meo*, annotat. 14. ex quo multa mutuati sunt Lorca & alij recentes. Censet ergo Tolet. hanc conclusionem certam, quam defendit P. Maldonat. in Ioan. 10. 18. PP. Suarez disp. 43. lect. 5. Vasquez disp. 74. num. 30. Ragusa 2. p. disp. 14. verb. *Paludanus*. Alvarez disp. 47. num. 7. & alij complures.

§. 45. Affertur pro ea sententia Cyrillus Alexand. lib. 10. in Ioan. cap. 20. qui tamen non est tam clarus, qui non possit exponi non de praecepto stricto, sed late, vt porrigitur ad consilium. *Habes (inquit) in obedientia ista voluntaria paterni consummationem consilij, quod mandati loco tradi sibi Filius dicit. item, omnia tamen, quæ Patri videntur, peragit, & mandata vt homo appellat.* Affertur item Augustinus tract. 82. in Ioan. vbi nihil iuuat. tract. 79. plus fauet, sed parum.

§. 46. Patres antiqui rem hanc minimè disputant hac subtilitate, qua nunc; sed absolute dicunt Christum obediisse praecepto Patris, nec negauerunt verum & strictum praeceptum: sed quod Christus vocauit *mandatum & praeceptum*, ipsi vocant *voluntatem Patris*: à qua si Christus per possibile vel impossibile deficeret, peccaret, & faceret suam voluntatem, non Dei: qui verò operatur honestè ex dictamine rectæ rationis, non facit suam voluntatem, sed Dei: quia creaturam facere suam voluntatem, accipiunt pro opponi voluntati Dei. in quo euentu Deus & homo non habent idem obiectum voluntatum: non est ergo vtrique voluntas communis, id est, non amatur idem obiectum, vt non est duobus opinio communis, sed propria vtrique, quando sentiunt opposita; si autem sentiunt idem, opinio est communis vtrique. qui autem bonam voluntatem exercet, non opponitur voluntati diuinæ, licet non sequatur consilium: quia illa operatio est ex voluntate Dei, est quæ eadem communis vtrique, nempe de obiecto eodem. Sic facile compones auctores. Ne autem è proprio cranio id dixerim, audi S. Augustinum to. 9. lib. contra sermonem Arrianorum cap. 6. & 7. cuius hæc sunt verba:

§. 47. *Voluntate & praecepto Patris ad passionem & mortem properauit, sicut ipse ait: Pater transeat à me calix iste, non tamen quod ego volo, sed quod tu vis: & Apostolo asserente, & dicente: Obediens (inquit) factus Patri usque ad mortem; mortem autem crucis. Ijs testimonijs sanctarum Scripturarum quid persuadere conatur, nisi propterea Patris & Filij diuersas esse naturas, quia obediens Patri offenditur Filius. quamquam & hoc ipsum, quod dicit Iesus: Descendi de celo, non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius qui me misit, ad illud referatur, quod homo primus Adam (de quo dicit Apostolus: Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiuit: in quo omnes peccauerunt) faciendo voluntatem suam, non eius à quo factus est, vniuersum genus humanum, propagine vitiatam, culpa & pena fecit obnoxium. Vnde à contrario per quem liberandi fueramus, non fecit voluntatem suam, sed eius à quo missus est. ita quippe hoc loco dicitur voluntas sua, vt intelligatur esse propria contra voluntatem Dei, nec enim cum obediemus Deo, eaq; obedientia dicimur eius voluntatem facere, nolentes id facimus: quomodo voluntatem nostram non facimus, nisi quia illa dicitur voluntas nostra,*

S. Thom. 2. 2. q. 47. quando Scriptura ita loquitur, que intelligitur esse propria contra voluntatem Dei. Hanc habuit Adam, vt in illo moremur: hanc non habuit Christus, vt in illo viueremus. Recognosce totum caput. adijcit: Quod verò adiunctum est, Non vt faciam voluntatem meam, propter Adam, qui fecit suam, refertur ad hominis obedientiam: tamen obedientia in illo, que contraria est inobedientia secundum id quod homo est, commendatur. Vnde ait Apostolus: Sicut enim per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per obedientiam vnus hominis iusti constituentur multi.

§. 48. Ex quo Augustini testimonio luce clariùs deprehenditur stricto præcepto mortuum: cum enim Arriani vellent diuinitatem hominis mortui negare, id probant: quia præcepto Patris obediuit, quod signum est Patrem præcipientem esse maiorem, minorem autem filium obedientem; Augustinus admittit præceptum, & obedientiam, & inæqualitatem naturarum in vna persona. Arriani autem ex vero præcepto & obedientia arguebant inæqualitatem naturæ humanæ, quam solam fatebantur in Christo. inæqualitatem naturarum probat Augustinus eo argumento, non tamen in Christo solitudinem humanitatis. at consilium potest esse inter omnino æquales, imò & Superior potest absque obedientia lequi inferioris consilium, & illius voluntati morem gerere. Malam argumentationem ostendit Augustinus esse ab obedientia vt sic, quia potest esse inter æquales natura, vt constat ex cap. 6. & 11. at est inæqualitas in iurisdictione, vnde filius obediens est inferiori patri in iurisdictione, quæ non exercetur consilio. ob quod Christus erat inferiori Patri secundum quod obediuit, secundum quod non est Deus: nam vt Deus præcipit humanitati obediendi.

§. 49. Deinde B. Augustinus facere voluntatem suam accepit pro inobedientia, qua agimus contra voluntatem & legem Dei. Hanc efficientiam voluntatis suæ concessit Adamo, negauit Christo, qui non fecit suam, id est, non fuit inobediens. Quod si Christus faceret voluntatem Dei in opere minus bono, adhuc opponeretur inobedientiæ Adami, & non faceret voluntatem suam, sed Dei. Tandem toto eo libro ostendit Christum multa fecisse voluntate & præcepto Patris, quæ non fuit consilium, sed præceptum strictum, vt constat ex cap. 10. licet enim sint Arrianorum verba, illa non negat, sed ostendit ea conuenire Christo vt homini, ea sunt, adimplere totam dispensationem nostræ salutis, suscitare corpus à mortuis, ascensus, & descensus, confessus ad dexteram Patris, iudicium extremum, & id genus alia. Ab eadem sententia est to. 5. lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 15. vbi ait præceptam Adamo abstinentiam à ligno, Abrahamo necem filij, Christo mortem propriam: commendat obedientiam Abrahami & Christi, quas opponit inobedientiæ Adami. De mente B. Augustini dubitari non potest. In eundem scopum loquuntur Patres adducti §. 45. & B. Ambrosii lib. 10. de Fide cap. 20. & alij.

§. 50. Aliqui censent ab Anselmo censum, non potuisse Christo imperari necem, qui tamen ab hac sententia est aperte: non enim negat nisi Christo præceptam mortem immediatè, & in se, ita vt præcepto adigeretur ad agendum aliquid directè vtile ad mortem. at non negat Christo præceptam prædicationem etiam in ijs occasionibus, in quibus

ob prædicationem esset moriturus. Mortem in se, & immediatè, non fuisse præceptam Christo, docet lib. 1. cur Deus homo cap. 8. & 9. ijs verbis: Non ergo coëgit Deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum, sed ipse sponte sustinuit mortem. lib. autem 2. c. 2. vniuersim docet repugnare Deo, vt cogat mortuum, quem iustum faceret ad beatitudinem. Quod autem (inquit) talis factus sit, vt necessitate non moreretur, hoc facitè probatur, quia etiam sapientia & iustitia Dei repugnat, vt cogeret mortem pati sine culpa, quem iustum fecerat ad æternam beatitudinem. Quibus sentit aperte Christo non esse mortem directè præceptam in se. quod ego fateor.

§. 51. At indirectè ei esse præceptam, quia præcepta sunt aliqua, quorum occasione erat moriturus; nec consilio solum, sed vero præcepto ad eas occasiones adactum, docet aperte idem Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 9. Non ergo (inquit) coëgit Deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum; sed ipse sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deserendi vitam, sed propter obedientiam seruandi iustitiam, in qua tam fortiter perseuerauit, vt inde mortem incurreret. Legatur totum caput. En nostra sententia non de directo præcepto mortis, sed indirecto non fugiendi occasiones vnde mortem incurreret. Eas autem occasiones Christo fuisse præceptas, constat ex initio cap. 9. ijs verbis: Vt mihi videtur, non bene discernis inter hoc quod fecit exigente obedientia, & quod sibi factum, quia seruauit obedientiam, sustinuit non exigente obedientia. cur persecuti sunt eum Iudei vsque ad mortem? non ob aliud, nisi quia veritatem & iustitiam viuendo & loquendo indeclinabiliter tenebat. hoc puto, quia Deus ab omni rationali creatura exigit, & hoc illa per obedientiam Deo debet. ecce habes quid fecit exigente obedientia. verum est, & iam video quid sibi illatum, quia obediendo perseuerauit, sustinuit: nam illata est illi mors, quia persistit in obedientia.

§. 52. Vnde colligo ab Anselmo ceteri, strictè præceptam Christo integritatem vitæ, & prædicationem, licet ipse cerneret se illarum occasione moriturum. quod ego, & nihil aliud affirmo, vt & auctores huius sententiæ, vt patet ex B. Thoma in c. 5. ad Rom. lect. 2. ante finem; vbi Christus non fuit nisi patiens mortem, non verò vt homo eam directè efficiens. Præterea Anselmum nec per somnium fauere opinionioni oppositæ, constat. quia directè nec eam præcepit Deus, nec consuluit: indirectè verò, siue in occasionibus eam præcepit, quia præcepit strictè occasiones vnde Christus videret se mortem incursum.

SVBSECTIO II.

Primum argumentum ex præcepto & mandato, quibus vititur Scriptura.

§. 53. **H**Æc conclusio probari non potest nisi ex Scriptura: pendet enim non ex rei natura, sed voluntate Dei. Primum argumentum accipio à voce præceptum, qua vititur Scriptura ad significandam iustionem strictam. Deuter. 18. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, que præcepero illi. Hoc testimonium est aut de solo Christo, aut præcipuè. quæ ergo Christus locutus est, locutus fuit ex præcepto Dei. Huc allusibile videtur Christus Ioan. 12. 49. Ego ex me ipso non sum locutus.

locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Recognosce P. Maldonatum atque Toletum.

§. 54. Obijcies Primùm, id intelligi non de præcepto strictè, sed latè, vt etiam portigitur ad consilium. Contra: Eodem cap. 18. Deuter. vers. 20. asseritur, *Propheta autem, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi:* at hic de præcepto agitur; quo Prophetae mittebantur ad populum. Deinde Paulus ad Titum r. v. 3. ait: *In prædicatione, quæ credita est mihi, secundum præceptum Saluatoris nostri Dei.* Hoc autem præceptum strictum erat, non latum, vt ipse dixit i. Cor. 9. 16. cum ergo præceptum in prædicatione sit strictum Apostolo, Moyli, & alijs Prophetis, cur in eadem significatione non accipietur in Christo, cuius doctrina efficacior erat, & magis necessaria? Nec verò Anselmus, Chrysost. Basilius & Theophyl. hoc negant in prædicatione. De Anselmo constat §. 51. de alijs infra constabit. Cum autem Moyses non solum sit locutus de Christo, sed etiam de alijs, in quibus præceptum sumitur strictè; quo fundamento in Christo latè sumendum eadem dictione, & eadem vice sine repetitione?

§. 55. Obijcies Secundò, præceptam prædicationem, non verò mortem. Respondeo mortem non præceptam directè in se, aut in causa per se; atque directà, sed directè in prædicatione, & exemplo vitæ, quæ futura erant occasio mortis, & causa per accidens, vt ex Anselmo dixi §. 51.

§. 56. Secundò, probatur ex voce *mandatum*. Ioan. 10. 18. agens Christus de morte & resurrectione pro quibus, ait: *Hoc mandatum accepi à Patre meo. cap. 12. 49. Ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita æterna est, quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Quæ duo testimonia de Christo vt Deo accipiunt aliqui Patres, alij vt homine: verùm neutri excludunt Christum vt hominem. Item primum testimonium est de Christo vt Deo, & homine: potestas enim suscitandi seipsum, est Dei formaliter; voluntas autem exequendi mandata diuina, est creata, siue mandatum sonet strictè aut latè præceptum. Item munus boni pastoris significat naturam humanam, quæ est principium eliciens munus pastoris. *Querens me sedisti lassus,* inquit Ecclesia: ponere autem animam spectat ad humanitatem. Secundũ testimonium est etiam expressè de humanitate: Christus enim vt homo loquebatur: *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum.* Illa autem verba sunt, quæ Iudæi audierunt, è quorum principibus multi crediderunt in eum: alij autem increduli accusantur à Christo, quibus comminatur iudicium extremum. De ijs ergo verbis dixit ipse, *Mihi mandatum dedit quid dicam.* Nec oppositæ sententiæ auctores negant hæc duo testimonia esse de Christo vt homine, *mandatum* autem accipiunt latè.

§. 57. Ex eodem Ioan. 14. 31. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: Surgite, eamus hinc.* quò autem erant ituri: *Hæc locutus est Iesus ante diem festum Paschæ,* Ioan. 13. 1. in cœnaculo quidem vbi cœnaturus lauit discipulorum pedes, Totus ergo sermo ex c. 14. 15. 16. & 17. ibi est habitus. quo finito egressus est in locum, vbi erat comprehendendus cap. 18. 1. *Hæc tunc dixisset Iesus, egressus est trans torrentem Cedron, vbi erat hortus.*

ergo è cœnaculo iturus erat in hortum; hoc autem, sicut mandatum dedit mihi Pater, q. 20. & 47.

§. 58. Præceptum, & mandatum ferè synonyma sunt in Scriptura: quæ enim dixit Marc. 10. 19. *Præcepta nostri,* Luc. 18. 20. *Mandata nostri.* In materia virtutum præceptum & mandatum accipiuntur strictè pro iustione obligante. Recognosce §. 7. & §. item à §. 11. discrimen præcepti & mandati à consilio. Addo, à Christo in materia virtutis mandatum & præceptum accipi strictè vt opponitur consilio. Constat ex Luc. 18. 18. interrogatum Christum à principe, quæ ratione posset ad vitam ingredi? Respondit Iesus v. 20. *Mandata nostri, Non occides, &c.* Deinde illi consuluit perfectionem angelicam. Matth. 19. 16. *Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam? Si vis ad vitam ingredi, serua mādāta. Non homicidium facies, &c. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes.* distinxit ergo Christus præceptum & mandatum strictum à lato: strictum est necessarium ad salutem, latum ad solam perfectionem.

§. 59. Quia verò potest aliquis dicere ex Matth. posse colligi discrimen mandati stricti, & lati: quia adolescens respondit, *quæ id est,* quæ mandata sunt necessariò seruanda, quasi essentialia, & necessaria ad salutem? Christus autem indicauit mandata decalogi: Respondeo, adolescentem nec de eo cogitasse, sed quæ sit quæ essent mandata necessaria? an Christus aliud adderet, aut detraheret? Propterea Christus apud Lucam dixit, *Mandata nostri, Non occides,* ac si dicat, Satis est tibi notus decalogus apud Moysen. adhuc nullum ego aliud mandatum tui, serua decalogum tibi notum. idem dixit Marcus 10. 19. *Præcepta nostri,* at si mandatum & præceptum acciperentur pro consilio, non diceret Christus, *Præcepta nostri: mandata nostri;* nec vt per se nota recenseret ex lege, sed distingueret. ergo mandatum non accipitur in materia virtutis nisi strictè. Deinde consulens Christus consilia, dixit: *Si vis perfectus esse, vade, &c.* id est, mandata sufficiunt ad salutem; non verò ad perfectionem, seu supererogationem, ad quam ultra mandata sunt etiam consilia necessaria; hæc non appellantur à Christo mandata, secus illa.

§. 60. Item Ioan. 15. 9. *Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruauit, & maneo in eius dilectione.* Vbi Christus statuit obseruationem præceptorum esse necessariam ad manendum in sua dilectione, quo pacto & ipse manet in dilectione Patris seruans eius præcepta. Recognosce B. August. to. 9. tract. 32. in Ioan. Vbi hæc accipit de legis obseruatione, & Christo vt homine: ea autem præcepta in Catena Thomistica sic exponit Albinus, quæ autem præcepta dixerit, exponit Apostolus, dicens, *Christus factus est obediens vsque ad mortem.* Recognosce item PP. Maldonatum atque Toletum.

§. 61. Ratione probatur: quia si in materia per se honesta atque virtutis præceptum & mandatum acciperentur indiscriminatim pro consilio, & stricto præcepto; esset ingens occasio turbationis atque ruinæ: si enim præcepta atque consilia eadem voce significantur in ea materia, nobis non essent satis nota præcepta necessaria ad salutem, hoc autem est contra ipsum Christum Dominum, *Præcepta nostri: mandata nostri.* ergo. Probo Maiorem: quia ij auctores in materia tam honesta & necessaria ad salutem cunctorum hominum tergiversantur,

93. Thom.
20. & 47

tur, & ex praecepto stricto appellant ad latum, quia terrentur difficultate componendi libertatē Christi cum praecepto; ita & in alijs occasionibus teigiterfabuntur cum discrimine honestatis in vita: etenim *non machaberis*, dicent esse consilium, non praeceptum: quia simplex fornicatio diceretur non prohiberi strictē, sed latē, consilio honestatis, non praecepto. *non occides* dicent esse consilium circa inimicos, non praeceptum: confessionem fidei etiam in cruciatibus, dicent esse consilium; praeceptum autem esse non negare interiūs fidem; quam qui interiūs & exteriūs negat, negandus erit à Christo; non verò qui solūm exteriūs. etenim in quavis materia honesta erit locus huic explicationi, non aliter ac in praesenti, nec firmum quid ex praecepto aut mandato colligitur.

SUBSECTIO III.

Responsum de praecepto & mandato non stricto, sed lato.

§. 62. **H**ic argumento tam efficaci respondent Hoppoliti auctores, praeceptum & mandatum sumi in Scriptura tam ambigūe, ut ex ijs vocibus non possit colligi strictum mandatum; sed aliquando permissionem, aliquando consilium, seu simplicem voluntatem sine obligatione. Permissionem significat 2. Reg. 16. 10. *Dominus enim praecepit ei ut malediceret David.* & vers. 11. *Dimitte ut maledicat iuxta praeceptum Domini.* 3. Reg. 22. 20. *Quis decipiet Achab?* cum autem daemō exposuisset Deo, qua ratione illum esset decepturus, nempe immitendo spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum; respondit Deus: *Egredere, & fac ita, nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum.* quod testimonium pluris est faciendum, quia est in materia praedicationis. Tertio, mandatum significat permissionem: agens enim Christus de repudio; illud dixit permissum Matth. 19. 8. *Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores.* at apud Marcum 10. 5. dixit: *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud.* alibi item varia significant. Quarto, Habacuc 1. 6. *Ego suscitabo Chaldaeos, ut possideant tabernacula non sua.* Quinto, apud Isaiam 13. à vers. 3. *Ego mandavi sanctificationis meis, & vocavi fortes meos in ira mea: Dominus exercituum praecepit militia belli.*

§. 63. Respondeo Primum, non esse incommodam significationem permissionis voce *praeceptum*, & *mandatum*: quia ex qualitate materiae constat non esse significationem propriam, sed impropiam, ex regula generali, verba Scripturae non sic accipi in significatione propria, quando ex illis sequitur aliquod absurdum contra Scripturam eandem: cum autem Deus ex Scriptura non possit esse auctor peccati, non potest illud praecipere proprie. Quo responsum est toti huic obiectioni; item & argumento ex Matth. 14. 19. ubi Christus praecipit Apostolis, ut facerent turbas discumbere. Ex qualitate materiae colligitur non esse *praeceptum* proprie à iurisdictione altiori, sed ab aeternitate: at in materia de se honesta ea significatio esset perniciofa, ut ostendi §. 61.

§. 64. Secundò, respondeo omnibus illis testimonijs, & similibus plus significari, quam solam

permissionem; nempe aliquid praeceptum aut factum auctore Deo, qui id efficaciter voluit: hanc autem voluntatem imperium, & praeceptum vocari constat ex §. 21. Exemplum sit Semei contumians Davidi. in Semei considero duo; alterum est animus portendenter impavidus: etenim David erat cum exercitu fortissimorum militum, qui glutirent Semei, qui solus erat. Deus specialis providentia Semei animum armavit constantia, ut Davidi refliceret memoria modestē & vrbane antiqua delicta satis vulgata, ob quae à Deo premebatur, ut David se Deo per poenitentiam subijceret. Hac constantia abulus est Semei ad exprobrandam contumeliosē tyrannidem, quam non admiserat: quia constantiam illam, aut animum intrepidum (cuius Deus fuit specialis auctor) secuta est contumelia, & peccatum Semei, quamvis id fuit per accidens comparatione voluntatis diuinæ. idē David eam maledictionem dixit esse iuxta praeceptum Dei. Sic eum locum exponit Lyra: *Dicendum quod David videns Semei solum & inermem, ita constanter & intrepidē sibi iniuriantem, & manifestē coram bellatoribus multis fortissimis, & audacissimis, & ad vindicandum regis iniurias promptissimis, perpendit quod hoc non proveniebat ab ipso Semei tantum, sed à Deo specialiter hoc agente; & hoc vocavit praeceptum Dei.*

§. 65. Hinc etiam explano Habacuc & Isaiam adductos §. 62. Chaldaeos donavit Deus fortitudine & industria militari, ut sua regna tuerentur, & ea vterentur benē. ea abusi Chaldaei ad iniusta bella: hoc fuit per accidens; & quia id sequitur ex ea fortitudine donata specialiter à Deo, licet sequitur per accidens; dicitur Deus vocare Chaldaeos. cum autem Deus videret eos impetum facturos in Ierusalem, id ijs permisit; armavit autem brachia, ut tanto impetu & robore ferirent Hierosolymitas, ut non possint obfistere: hoc autem robur potest esse à Deo ex suppositione praecepti militis voluntatis imperantis motum brachio: ictus enim externus non repugnat specialiter à Deo iuvari ex suppositione voluntatis creatae illum motum imperantis.

§. 66. Ad secundum ex §. 62. de spiritu mendacij in ore Prophetarum, respondeo nullius esse momenti: quia non est in materia vera, sed mendacis praedicationis, cuius auctor non potest esse Deus: at praedictio Christi est ipsissima veritas mortalibus cunctis ad salutem necessaria. unde ex ipso discrimine materiae colligitur nullam esse ambiguitatem in altera, in altera verò fore maximam. Secundò praetereo, utrum Deus potuerit praecipere daemōni, ut falleret Achabum non quidem dicendo falsum, sed excitando phantasia, occasionem erroris, de quo disserui vol. 2. disp. 14. at certē in eo eventu Deus aliqua daemōni praecepit, nempe ut occideret Achabum, eumque ad praelium impelleret: rationem autem impellendi non praecepit, sed permisit. fuit Deus auctor astutiae, qua daemō est vltus; quam astutiam dedi illis Deus ad bonos fines, qua ipse est abusus. astutiam laudavit Deus ut aptam ad supplicium regis, *Decipies, & praevaleris*: cum autem addidit, *Egredere, & fac ita.* praeceptum est de occidendo Achabo, & impellendo in praelium, quod potuit daemō exequi sine peccato. deceptionem permisit, non praecepit: ut enim angelus malus (si malus fuit) potuit occidere exercitum Sennacherib praecepto Dei absque peccato: peccatum autem fuit ei permissum: ita potuit & Achabum

bum occidere, & in prælium concitare. Hæc explicatio est Caietani in id caput, ijs verbis: *Verba hæc relata ad malum culpa (actionem videlicet iniquam demonis) permissiva sunt; relata autem ad panitionem ipsius Achab, præceptiva sunt. Et præter hæc significant relaxationem vinculorum potestatis demonis.* Itaque adhuc non affertur præceptum, imperium, aut mandatum, quod contineat aliquid voluntatis Dei firmæ & efficacis odio habentis aliquid oppositum ei quod præcepit: hoc autem comparatione creaturæ cognoscentis odium illud est præceptum, quando odium est de actione ab ipsa exercenda.

§. 67. Rogas, vtrum quando Christus dixit Iudæ Ioan. 13. 27. *Quod facis, fac citius*, fuerit præceptum, an permissio? Respondeo, sine absurdo accipi potest de permissione: quia cum esset in materia turpissima, non poterat Christus eam præcipere; permissio verò colligitur aperte, quo Christus significauit se conscium esse quid ille moliretur, nec se velle id impedire, cum potius sitiret mare illud cruciatum, quod ipse illi propinabat, vt rectè P. Toletus exponit in comment. Chrysost. verò homil. 71. in Ioannem existimat, nec esse præceptum, nec consilium, nec permissionem, sed obiurgationem acerbissimam, quod tam infando studeat facinori. Ambros. autem lib. 2. de Cain & Abel cap. 4. non malè præceptum exponit, non vt Christum prodar, sed vt citius discedat ex suo contubernio, in quo possessus à dæmone est indignè.

§. 68. Ad repudium ex §. 62. respondeo Primum, ex materia colligi permissionem esse: quia est contra ius naturale matrimonij, vt Christus explicuit. vnde ad nostrum scopum non est argumentum, vt dixi §. 61. Christus apud Matthæum emendauit Iudæos appellantes mandatum; ipse autem permissionem explicuit, vt P. Maldon. obseruat acutè. apud Marcum dixit *mandatum* non de suo, sed repetens illorum verba, quæ emendauit apud Matthæum. Secundo respondeo, legem permissiuam esse etiam præceptiuam: non enim loquitur cum eo, cui permittitur, sed cum iudice, ne in illum animaduertat: *iustum enim dolorem temperare quis poterit*. Ita Moses præcipit iudicibus, ne cogere maritos in contubernio, & legibus matrimonij perseuerare. Quod rectè obseruat P. Suárez lib. 1. de Legibus cap. 14. n. 5. ergo omne præceptum Dei habet aliquid voluntatis Dei, aliquid odio habentis: ergo & præceptum impositum Christo.

SVBSECTIO IV.

Secundum argumentum ex obedientia Christi.

§. 69. **S**ecundum argumentum est ex obedientia Christi. Ad Philip. 2. 8. dicitur, *Factus est obediens vsque ad mortem*. B. Anselmus adductus §. 51. verum inde colligit præceptum, non tamen directum de vita deferenda, sed de conformanda vsque ad inuidiam Deicidarum. Sic argumentor: Obedientia in Deum non est nisi ipse aliquid præcipiat titulo iurisdictionis vnde enascatur obligatio parendi, vel quod sit talis obligatio: sed Christus veram exercuit obedientiam in Deum in non recusanda morte: ergo habuit verum præceptum obligans. Maior propositio est B. Thomæ 2. 2. qu. 104. Caietani, Toleti, & communior in scholis. Probat autem: vera obedientia non exercetur, nisi

Superior aliquid à nobis velit titulo iurisdictionis obedientia enim formaliter sequitur voluntatem maiorem, vt est Superior cum potestate gubernatiua: sequi enim voluntatem alterius alias ob causas, non spectat ad obedientiam: sed titulo iurisdictionis nihil vult Superior à nobis sine vero præcepto; consilium autem non exigit iurisdictionem, nec ex illa oritur: ergo obedientia non potest esse absque præcepto. Probo Maiorem, quia consilium potest esse inter æquales; quando autem est inter inæquales, oritur ac si essent æquales: est enim maior propositio in rem, quæ relinquitur arbitrio inferioris, ac si esset æqualis. Iurisdictionis ergo per accidens est ad consulendum.

§. 70. Explicatur: quando ego sequor consilium Superioris, illud non sequor, quia habet iurisdictionem, sed vt illi gratum faciam titulo amicitia; vel vt ostendam illum à me coli, aut obseruari: spectat enim ad cultum me subijcere voluntati excellentis. Potest item iurisdictionis considerari vt excellentia. vt ego obseruo Rectorem alius collegij, quia iurisdictionis excellentia est. at in consilio non consideratur vt dans vim consilio ipsi, ad quod per accidens est. Vnde cum sequimur consilia Dei, non mouemur eius iurisdictione, sed excellentia, aut amicitia; cum verò sequimur præcepta, sequimur iurisdictionem: ergo vera & propria obedientia non exercetur nisi circa præceptum.

§. 71. Nec verò satis capio, quid intersit iurisdictionis ad consilia, quæ ab illa nullam vim accipiunt: voluntas enim orta à iurisdictione oritur imperando, vt à Superiore in subiectum: iubet enim, non offert, vt ex Hieronymo dixi. consilium autem non est nisi quasi rogando; offert enim, non iubet. à iurisdictione oritur, *fac hoc*; à consilio *si vis*. ergo iurisdictionis nihil omnino dat consilio; dat autem præcepto, cui sentimus nos esse subiectos; consilio autem minimè. vbi ergo non subijcitur iurisdictioni, non exercemus obedientiam, quæ est actus inferioris altero ratione iurisdictionis.

§. 72. Obijciunt, obedientiam esse virtutem sequentem voluntatem Superioris; hanc autem voluntatem esse præceptum, aut consilium: sunt differentia voluntatis Superioris, circa quas versantur diuersa subiectorum voluntates pertinentes ad obedientiam habitalem. Confirmatur. Idem habitus castitatis est, qui versatur circa honestatem vt præceptam, & vt consultam: ergo & eadem obedientia versatur circa actiones & præceptas, & consultas.

§. 73. Distinguo Maiorem: obedientia sequitur voluntatem Superioris formaliter vtentis iurisdictione, concedo Maiorem; Superioris materialiter, & non vtentis iurisdictione, nego Maiorem. Distinguo item Minorem: sunt differentia voluntatis Superioris formaliter, & vtentis iurisdictione, nego Minorem; materialiter, concedo Minorem. nego inde deriuari voluntates diuersas obedientia; propria, sed alias obedientia; circa præcepta, alias amicitia; aut cultus circa consilia. Ad confirmationem, respondeo obiectum formale castitatis esse ponere medium tactibus; aliqui verò non sunt illiciti ex se, à quibus melius est abstinere. omnes ergo illi cadunt sub eandem virtutem cum eadem ratione simili, quæ est honestas abstinendi à tactibus: at obiectum obedientia; est honestas exequendi voluntatem Superioris, quia Superior

Thom.
47.

S. Thom.
q. 20. a. 47.

rior est: hoc autem pendet ab usu iurisdictionis. §. 74. Imò hinc argumentor: Iurisdictionis explicata per voluntatem maioris est obiectum specificans ex parte Dei nostram obedientiam, ut excellentia Dei cognita specificat religionem, seu cultum: & licet aliquas actiones exerceamus in Deum excellentem, nisi exerceantur affectu nos subijcendi excellentiæ Dei, & eam significandi subiectione, non exercetur religio, idemque est de cæteris Dei perfectionibus, ut terminant nostros actus: quia iurisdictionis ut explicata per voluntatem Superioris, est adæquatum specificatum obedientiæ: sed iurisdictionis non explicatur per consilium, ut dixi: ergo circa consilia non exercetur obedientia.

§. 75. Obijcient Secundò, ex S. Thoma 2. 2. q. 104. art. 1. & 2. ad obedientiam sufficere tacitum præceptum, quod dicit esse voluntatem Dei. Omisâ explanatione Caietani, respondeo à S. Thoma semper exigi in obedientia respectum ad voluntatem Dei intellectam: at necesse est ut sit voluntas Dei, ut ventis iurisdictione: hoc autem est præceptum: sufficit enim illud esse tacitum, id est, non est opus ut intimeretur, aut (ut aiunt) notificetur externè; sed satis est à me illam voluntatem præceptivam cognosci insinuatione, licet non videam illam expressè significari. hoc autem spectat ad maiorem obedientiæ perfectionem. ob quod S. Ignatius Confessor, nostræ Societatis Iesu institutor, nobis toties consulit obedientiam, cognitâ per insinuationem voluntate Superioris, nõ expectato præcepto expresso, lege humana nullus obligatur, nisi externè explicetur expressè. qui hoc spectat, tardus est in obediendo: qui autem præcurrit motus sola insinuatione præcepti, est quidem obediens perfectè, quia promptior est ad exequenda præcepta. ob quod Sancti sæpè dicunt obediens prophetare voluntatem Prælati, quam exequuntur insinuatione nutibus antequam explicetur. Rectè ergo S. Thomas exigit imperium tacitum, respiciendo tamen voluntatem Prælati ventis iurisdictione.

§. 76. Hinc colligo, à nonnullis Theologis male accipi insinuationem voluntatis pro consilio, quos impugno. tam præceptum quàm consilium insinuatur, & explicatur: quæ enim Superior præcipit, insinuatur, quando non explicatur alijs clarè verbo aut scripto, sed nutu, aut signo aliquo egente coniectura audientis quid velit Prælati. consilium potest etiam hac ratione insinuari. quando ita insinuatur præceptum, est tacitum apud S. Thomam; & tamen obediens illud respicit, tunc celebratur prophetia obedientiæ: illa enim coniectura videtur esse prophetica: sic obedientia stricta circa præceptum, & lata circa consilium est melior & diuinior ob diuinatam potius quàm auditam Prælati voluntatem. at quando præceptum aut consilium explicatur clarè, neutrum insinuatur, nec est voluntas insinuata aut tacita, sed expressa & dicta.

§. 77. Obijcient Tertio, aliquos Sanctos obedientiam exponentes de executione consiliorum. Hieronymus ad Demetriad. *Deinde qui tanta se esse obedientia profitetur, ut etiam consilium diuinum libenter audiat.* Chrysof. & Theophyl. dicunt obedientiam sumi pro concordia voluntatis humanæ cum diuina. Respondeo, Hieronymum non dixisse esse obedientiam consiliorum, sed alium gloriari se esse tam obedientem ut etiam audiat consilia. loquitur ergo ex alius mente, non ex sua. item nõ dixit, *Consilijs*

obediat, sed consilia audiat. Chrysof. si quid ex eo probatur, etiam vult Christum non habuisse à Patre consilium, nec exhortationem (quod ij negant) sed tantum consensum & approbationem; quæ consequens est ratione voluntatem Christi, ut constat ex cap. 3. homil. 59. in Ioan. *Præstare ergo (inquit) accepit, & inde paruit, & prius quid esset faciendum, ut disceret opus habuit? & infra: Bonus ergo pastor ad ovium custodiam hortatore non indiget.* Ostendam §. 89. Chrysofomum negasse præceptum directum de ferendi vitam, non indirectum: idemque erit iudicium de cæteris Patribus.

§. 78. Rogas Primò: Ad quam virtutem spectat sequi consilia Dei, quia Deo magis placent? Respondeo, per se primò pertinere ad charitatem, ut obiectum secundarium: quia facere aliquid quia Deo placet, ad charitatem pertinet: sicut ad odium, facere aliquid quia Deo displicet. Potest item per se pertinere ad religionem: possumus enim sequi Dei consilia, quia excellens est, ut sæpè facimus quod principibus placet, non quia sumus illorum amici, sed quia illorum dignitas id postulat, obedi-mus ergo Deo, quia eius iurisdictionis id petit: audimus autem eius consilia, quia excellentia aut bonitas id postulant. Eodem pacto quando Prælati aliquid placet, non præcipienti id à subiecto præstari, spectat ad obseruantiam debitam dignitati Prælati. vnde ex genere suo obedientia consiliorum Dei nobilior est quàm præceptorum, quia illa est aut charitas, aut religio. in homines est è contrâ. obedientia est melior, quia obeditur principaliter in homine iurisdictioni Dei; obseruantia autem, & amicitia moralis minus bona est quàm obedientia.

§. 79. Rogas Secundò, Vtrum obedientia præstata Prælati ob iurisdictionem æconomicam sit propriè obedientia? Respondeo, eam non esse tam alienam à proprietate obedientiæ, quàm auditio consiliorum, quia est aliqua iurisdictionis: obedientia autem sequitur iurisdictionem; at est obedientia specie distincta ab obedientia præceptorum. Nisi dicas, iurisdictionem æconomicam esse proprietatem iurisdictionis obligantis, & eandem terminare virtutem; obidire autem præcepto æconomico Prælati, quia est voluntas Dei siue consilium, est religio, aut charitas in Deum; ut est obedientia in Deum obidire Prælati obliganti, quia est præceptum Dei.

SUBSECTIO V.

Christus potuit recusare de obeunda morte præceptum.

§. 80. **H**Oc præceptum ita fuit impositum Christo, ut apertè cognouerit Patri aquè placituram eius recusationem, ac acceptionem. non fuit præceptum conditionatum: *Si vis, ego tibi mortem præcipio*; hoc enim non tam esset præceptum quàm consilium; sed dixit absolutè, *Ne fugias has occasiones mortis.* Cognouit ergo Christus Deo displicere mortis fugam immediatè & in se ipsa: item ei non displicere recusationem præcepti, & in ea recusatione non displicere fugam. quod nobis sæpè contingit: Prælati enim aliquid præcipit, cuius oppositum odio habet immediatè: est tamen paratus ad accipiendum recusationem præcepti, quam accipiens

accipiens mutat praeceptum prius, & deponit odium. at cum aliquid praecipit, vult vt sibi pareatur dum non recusatur praeceptum, nec ab eo petitur vt illud amoueat: ita Deus dum non vidit à Christo recusari praeceptum, vult illud exequendum; id non voliturus, si recusetur: ergo recusatio est causa amouendi praeceptum; dum autem non amouetur, durat obligatio.

§. 81. Christus eo praecepto obligatus fuit primo instanti, quo illud cognouit, quia tunc illud acceptauit: lex autem promulgata & acceptata obligat: ea obligatio pendit ex libera acceptatione Christi: vnde omnia quae ex illa obligatione secuta fuere, fuerunt Christo libera in acceptatione. ob quod liberè animam suam posuit, elegit vitam passibilem reiectà liberè impassibili: in eius potestate fuit etiam in sensu composito praecepti mori, & non mori, quia in eius potestate fuit illud acceptare, & recusare: in sensu autem composito praecepti, & acceptationis non potuit non mori: illa autem suppositio includit liberam acceptationem: si autem Christus praeceptum recusaret, non obligaretur, non quod praeceptum existeret, & non obligaret, sed quia reuocaretur, reuocatum autem non obligat.

§. 82. Fuit ergo ea obligatio conditionata, qualis reperitur in aliquibus legibus, quae non obligant sine consensu populi: nisi enim Christus praeceptum acciperet, non obligaretur, quia eius perseverantia fuit conditionalis. Pro primo tamen signo rationis fuit indifferens ad obligandum, & non obligandum: quia fuit indifferens ad acceptationem, & recusationem: cum acceptatione obligauit in primo instanti; si recusaretur, non obligaret, & reuocaretur, quia non erat de obiecto exequendo eo primo instanti. ob quod fuit locus ad illud reuocandum pro alio instanti: quia in illo primo reuocari non potuit, quia non potuit pro illo esse simul praeceptum, & non esse.

§. 83. Obijcis: Ergo fuit praeceptum conditionatum, quia eius obligatio est conditionata. Nego consequentiam. Ad probationem, respondeo legem non habere propriè pro obiecto obligationem, sed esse voluntatem principis de hoc obiecto, & odium oppositi. haec lex seipsa est obligatio, quia eo praecise tenetur subiectus illi parere, id est non potest absque peccato non parere: & quia ea lege redditur mala carentia obedientiae, ideo dicitur ferri in obligationem. Deus ergo absolutè voluit, & non conditionatè mortis occasiones in se, & odio habuit fugam earum; at in recusatione habuit amorem conditionatum fugae: Christus autem non recusauit, sed accepit praeceptum, quod perseverauit odio habens fugam, quam deinceps nec sub conditione voluit in hortu, aut alibi, quia conditio erat iam impossibilis; perseverans autem praeceptum infert obligationem. est ergo voluntas absoluta, & praeceptum absolutum; reuocabile tamen: quia non fuit sine voluntate conditionata illud reuocandi. quia verò Christus vidit esse locum recusationi, vidit illud non obligare absolutè ante acceptationem: quia potuit admittere, & recusare praeceptum, quia Deusei significauit sibi non dupliciter recusationem. quod frequenter nobis accidit: multa enim nobis praecipuntur absolutè, quae non obligant dum est locus propositioni (vt aiunt) siue quasi supplicationi: si autem huic non
Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

fit locus, aut non acceptetur à Superiore, tunc praeceptum obligat absolutè. *s. Thom. q. 20. & 7.*

§. 84. Hanc facultatem recusandi praeceptum vocant aliqui facultatem petendi dispensationem. quod potest intelligi de dispensatione propriè, vt stante lege de morte omnium hominum, ipse esset immunis & à lege, & praecepto, & effectu, qui est ipsa mors. vel dispensatio accipitur impropiè pro reuocatione praecepti. quamuis autem hoc genere praecepti adstringeretur Christus ad omnes circumstantias, adhuc essent omnes liberae non immediatè & in se, sed in acceptatione. Nisi dicas potuisse Christum purè omnia praecepta omittere, & puram omissionem non esse peccatum, nec imperfectionem ex Caietano. demus ergo omnia à Deo praecepta; executio fuisset libera vel immediatè ex aliquo capite, aut omissione pura, aut in acceptatione. at praeceptum substantiam mortis, & aliquas circumstantias. haec fuerunt libera in acceptatione: item & immediatè in aliqua circumstantia, nec praecepta, nec consulta.

SVBSECTIO VI.

Qui negent praeceptum de morte Christi.

§. 85. **V**ix pauci Scholastici censuerunt Christò non fuisse praeceptam mortè, sed consultam. Pro qua sententia potest Paludanus adduci in 3. dist. 12. q. 2. art. 3. asserens Christum vt hominem nulli legi dispensabili esse subiectum; indispensabili autem probabile esse eum subiectum. Paludanus autem non agit nisi de legibus communibus, non verò de aliquo praecepto speciali, quale est redemptio nostra per haec media. Adducitur Dionys. Cisterciensis in 3. q. 2. art. 2. conclus. 6. sed malo fundamento, nempe non esse meritum in operibus praeceptis. Potest adduci Albertus cap. 3. de Virtutibus, his verbis: *Verus obediens numquam praeceptum spectat, sed solùm voluntatem Praelati sciens, vel credens, feruenter exequitur pro praecepto Domini Iesu Christi, cui voluntas Patris summum praeceptum fuit.* At adducitur abs re, non negat Albertus omne praeceptum, sed asserit Christo satis esse voluntatem Patris, ac si summum esset praeceptum. quod ego fateor in operibus consilij; ne tamen propterea negemus aliqua habuisse praecepta.

§. 86. Eam tamen sententiam Lorca propugnat disp. 73. num. 11. item discipulus P. Ioannes Antonius Velazquez, in erudito & eleganti commentario in epistolam ad Philipp. 2. 8. nu. 15. & sapientissimus P. Lud. de Roa in manuscripta expositione epistolae ad Ephesios 1. 13. q. 15. & alij recentes.

SVBSECTIO VII.

De auctoritate Patrum.

§. 87. **A**ddunt B. Anselmum, quem à nobis esse ostendi à §. 62. adducunt etiam B. Basilium lib. 4. contra Eunomium. Verùm Basilium verbis quae producuntur, tantum contendit Christo aliqua sine praecepto relicta: si enim omnia essent praecepta, nulla relinqueretur libertas, ait enim cap. Si nihil: Si nihil Saluator à seipso facere poterat, sed imperante Patre, nec bonus est, nec malus: nullius enim eorum quae facta sunt, causa est. & quomodo absurdum non est,

*s. Thom.
q. 20. & 47.*

cum homines sint bonorum & malorum liberi factores, Filium Dei nullius rei liberum esse factorem: Hæc probant non fuisse omnia præcepta, non verò nihil esse præceptum: si enim omnia præciperentur, censent communiter Theologi illum non esse liberum. Caietanus autem dicit illum fuisse liberum, quia potuit sine peccato purè omittere; at sermonem esse de Christo vt Deo: nam vt Deus, est causa eorum quæ facta sunt. at non fuisset, si careret arbitrio, & esset subiectus Patri: est autem causa, quia vt Deus eandem habet voluntatem. Hic sensus colligitur ex eo capite, & antecedente. Nec satis mihi constat, vtrum ea sententia tam sit Basilij quàm obiectio Enomij, cuius obiectio per capita Basilij digessit: de mente autem Basilij tam in hoc loco ab oppositis adducto, quàm in alijs à me adducendis constabit à §. 92.

§. 88. Magis Chrysofomo fidunt to. 3. homil. 57. in Ioan. in ea verba, *Hoc præceptum accepi à Patre meo: Vbi ait expressè Christum non eguisse præcepto Patris, ijs verbis: Hinc suas oves & quidquid rectè factum est, suum opus esse, & præcepto non indigere ostendit. quòd si indigeret, quomodo à seipso ponere dixisset? qui à seipso ponit, præcepto non indiget, & causam cur faciat, affert, quòd scilicet pastor sit, & bonus pastor. Verùm, vt ipsi hinc præceptum impugnant, quid ni & consilium, cum vtrumque neget? Prius ne ergo (inquit) accepit, & inde paruit? & prius quid esset faciendum vt disceret, opus habuit? & quis non expers rationis hoc dixerit? Infrà verò ait: Bonus autem pastor ad ouium custodiam hortatore non indiget. at qui consilium dat hortator est, vt ipse Chrysofomus agens de consilio Christi de virginitate tom. 2. homil. 63. in Matth. sub medium ait: Dominus noster, quia ad virginitatem hortari graue esse videbatur. Nec dubium consilia de perfectione esse hortationem ad eam capeffendam.*

§. 89. Respondeo ergo, Chrysofomum negasse præceptum & consilium de morte in se, & directè, de qua Deus tantum habuit ex Chrysofomo voluntatem consentientem Christianæ: at præceptum indirectum non negat, quia pastor est constitutus à Patre. Ex quo munere sequitur animam ponere pro ouibus; quas sciuit nullo alio pacto eruendas ex vnguib; & faucibus luporum. at constitutus bonus pastor non indiget directà exhortatione ad mortem necessariam ouibus, vt ipse dixit ea homil. 59. Nec dubium est Filium missum à Patre in mundum, vt esset auctor nostræ salutis: nec potuisse Chrysofomum negare Christo fuisse notam aliquam voluntatem Patris præceptiuam saltem eorum, quæ sunt de iure naturæ: item ei placuisse hominum salutem, & vt eos redimendos susciperet. quod ipse Christus dixit apertè Ioan. 4. 34. Quo munere suscepto non fuit opus illi mortem præcipere.

§. 90. Obijciunt ex eodem Chrysofomo homil. 75. in Ioan. ex cap. 15. 10. *Sicut & ego Patris mei præcepta seruauit. ait Chrysof. Rursus humano more loquitur: nec enim legislatorem legi subditum esse oportet. item hom. 86. in Ioan. 12. 49. in ea verba, Ipse mihi mandari dedit, asserit suæ esse potestatis dicere quod voluerit, vt erat suscitare quos vellet mortuos. & orat. 28. in epist. ad Hebræos, in id cap. 12. 2. Qui proposito sibi gaudio, asserit licuisse Christo nihil pati, quia erat sine peccato: potuit enim non crucifigi, sed voluit in nostrum exemplum. Respondeo,*

Chrysofomum primo in loco locutum de legibus posituis distinctis à lege redemptionis: leges enim Christus vt homo tulit, quibus (nisi essent naturales) non fuit subiectus; legem autem redemptionis tulit Pater, qui in eum finem misit Filium. in secundo verò loco vult Christo licuisse hæc aut illa dicere: at aliqua erat dicturus lege redemptionis.

§. 91. Quia verò tertius locus docet apertè optionem Christo datam à Deo moriendi & viuendi sine doloribus (quod ægrè componitur cum præcepto mortis: nec item congruit cum præcepto redemptionis, si vnice pendeat à morte) dico alia ratione posse Chrysof. explicari, præceptum Dei potest imponi sine loco illud recusandi, quia cognoscitur à Deo imponi irreuocabiter, alio modo cum loco illud detrectandi, & petendi reuocationem, quia Deus habet voluntatem conditionatam illud reuocandi, si recusetur. Primum præceptum non relinquetur Christum dominum moriendi, & non moriendi, in multorum sententia opinantium puram omissionem esse peccatum. Secundum verò præceptum relinquetur Christum dominum mortis suæ & vitæ; quia in eius potestate esset petere reuocatione præcepti. Hoc secundum genus præcepti non negat Chrysofomus, quia tantum vult fuisse integrum Christo mori, & non mori. Primum verò negauit vno verbo præceptum adinens optionem, & independens à voluntate Christi, vel in seipso, vel in eius reculatione meritò negat, cetera non negat: quia principem non oportet ita esse subiectum legibus paternis, quin illi sit liberum earum excutere iugum, quæ non sunt de iure naturæ, nec eget Christus præeunte præcepto irreuocabili, cui etiam reuocabili se subijciat. Quæ explicatio teres est, & rectè componit Christi animum promptum ad munus boni pastoris cum morte, non ex necessitate, sed ex amore & exemplo. itera Deum exposuisse Christo quid sibi placeret.

§. 92. Posset asseri B. Basilij libr. de Spiritu sancto cap. 8. explicans enim ex Ioanne 12. 49. *Ego ex me ipso locutus non sum, sicut præcepit mihi Pater, ita loquor, ait: Non quòd caruerit libero proposito, ac voluntatis impetu, nec quòd signis ab imperante datis occasionem expectauit, ideo talibus vtitur verbis. Proinde quòd dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio velut obedienti præscribentem quid facere debeat: sed iuxta sensum Deo dignum intelligamus voluntatis traditionem instar formæ cuiuspiam in speculo relucens. & infrà: Quid igitur sibi vult illud, Factus obediens vsque ad mortem? quoniam hoc à Patre habuit, vt suam voluntatem operaretur pro hominibus.*

§. 93. Respondeo, non vacare suspitione verba detruicare Sanctorum, & reticere illorum scopum. Conatur Basilij eo cap. tueri diuinitatem Christi, quæ videtur impugnari nonnullis Scripturæ verbis: qualia sunt, *per quem mandatum, mitti: explicatis autem nonnullis testimonijs ait, Omnis natura tum in hac creatura visibili, tum in intelligibili, ad hoc vt consistat Dei cura egentis, conditor est sermo, videlicet Vnigenitus Deus, quantumcumque opus est, opem distribuens. Infrà verò explicatis nonnullis nominibus Dei, ait: Omnia autem facit contactu virtutis, ac voluntate bonitatis operans: pacificus, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit; quæ non sunt, ea fecit vt sint, condita seruat. hoc modo bona ex Deo per Filium ad nos perueniunt. Deinde explicat quo pacto Filius vt Deus sequatur mandatum*

mandatum Patris, non quòd verè sit mandatum, sed quia à Patre traditur Filio eadè voluntas, quod explicuit verbis adductis §. 92. ab aduersarijs. hæc reticuerūt verba, *Sed vt declarat suam mentem per naturam vnitate, & indiuisum consensum cum Patre coniunctam esse: vnitas autem naturæ in Christo cum Patre non est nisi diuina. ait præterea, Sed iuxta sensum Deo dignum intelligamus voluntatis traditionem. lege totum testimonium, quod est de diuinitate Christi. Secundum autem testimonium exponit de voluntate accepta à Patre. quia verò aliqua testimonia Scripturæ agunt de Christo vt minore quàm Pater, ait aliqua verba significare naturam assumptam, vt constat ex sub initio capitis: agens autem ad medium de natura assumpta, ait eam sequi voluntatem Patris. Ne igitur (inquit) ob Filij dispensationem seruilem humilitatem, aut coactum obsequium imaginemur, sed intelligamus voluntariam sollicitudinem ex bonitate ac misericordia iuxta voluntatem Dei Patris erga suum figmentum operantem. ergo cum loquitur de voluntate humana, eam constituit (vt par est) pedisse quam diuinam, non seruiliter ob metum, nec humiliter per coactionem; sed ex bonitate decente filium & misericordia, quia mortem non recusauit, sed acceptauit iuxta voluntatem Patris.*

§. 94. Armantur Sancti auctoritate Cyrilli lib. 9. in Ioan. c. 1. Verùm Cyrillus in testimonio ex cap. 12. *Ego ex me ipso, &c.* mandatum accipit datum Christo vt Deo, quia ab eo accepit voluntatem diuinam: hoc autem non minuit dignitatem, nec Filium propterea Patre minorem facit, quia etiam æqualibus dantur mandata. *Nemo autem (inquit) putet, quia nihil à se, sed quod Pater præcipit, loquitur, idcirco aut secundum substantiam, aut secundum dignitatis alicuius rationem minorem Patre videri, &c.* at secundum humanitatem Filius est minor Patre, & secundum naturam & dignitatis rationem: admittit autem ea substantia rationem minoris secundum humanitatem, item & humiliationem & obedientiam; non tamen vt inde negetur æqualitas in diuinitate. Fine enim capitis ait: *Sed dicit fortasse quispiam, consubstantialiales quidem esse, dignitate autem minores, qui alienis ministrant imperijs. sed si non esset de Vnigenito scriptum, & tu, quicum es qui ista dicis: quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed se ipsum exinaniuit formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, humiliavit semetipsum; nonnihil fortassis hac tua ratio afferre videretur. verùm quoniam subiectionis atque humiliationis modus apertissimè patet; cur ita insurgis in eum qui propter nos humiliatus est? vndique igitur rectitudinem dogmatis verba hæc deducis per dispensationem dicta à Christo credimus.*

§. 95. En quo pacto Cyrillus præceptum metaphorice adscribit naturæ diuinæ, humanæ verò non recusat sine metaphora, sicut nec humilitatem, & subiectionem. Vt autem penitus cognoscas Patres Græcos pugnantibus cum Arrianis, Nestorianis, Sabellianis, & alijs hereticis, verba significantia inferioritatem conantes deflectere ad sensum improprios, ne Filij diuinitas in nostra periclitaretur opinione; eos autem minimè recusasse præcepta, subiectionem & obedientiam proprie in voluntate humana sequente diuinam; recognosce in eodem Cyrillo lib. 2. in Ioan. cap. 105. explicante id Ioan. 4. 34. *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me.* vbi toto capite probat Christum vt Deum esse ipsam voluntatem Patris, nec esse ministrum vo-

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

luntatis alienæ, sed paternæ (quæ est etiam ipse, & s. Thom. ipsius) perfectorem. Cum autem hæc late probasset, concludit caput, posse etiam dici Christum executum vt hominem illam Dei bonam voluntatem de hominum salute, his verbis: *Hæc igitur dicta sint, vt voluntatem Patris, Filium plerumque appellari non ignoremus: quamuis in hoc loco necesse non sit ita intelligere, cum videatur conuenientius bonam voluntatem, quæ, quæperierunt, in salutem reuocantur, voluntatem Patris hæc appellari.* hæc Cyrillus. Vbi iam voluntatem accepit communem tribus personis, quam Christus vt distinctus exequitur, id est, vt homo, quasi vescens ea voluntate vt cibo. Propterea prætereo alia horum Patrum & aliorum testimonia, quia hac ratione facile soluantur. item Christus charitate mortuus est, quia ex charitate in Deum & nos noluit recusare præceptum: nullum enim habuit de morte, cui obedire esset necesse; cum posset recusare. vnde si nollet mori, non moreretur, nec homo posset illum occidere. quo explico Theophyl. & alios.

SVBSECTIO VIII.

Argumenta rationis.

§. 96. **R**ationibus arguunt. Primùm. Scriptura refert vota nuncupata à Christo vt homine, quæ non accipiuntur proprie: ergo nec præceptum. Nego consequentiam, quia votum est de re magis placente Deo: Christus autem vt homo non habuit materiam voti, quia erat adstrictus ad omnia quæ magis Deo placerent, idque independenter à voto, ante quod ipsa vnione firmatam habebat voluntatem, non modò ad præcepta, sed ad omnia consilia Deo gratiora, vt dixi §. 29. Ipsi reddere non possunt hanc rationem, quærant aliam. præceptum autem non pendet nisi à libera voluntate Patris libero amore aliquid prosequens; & oppositum odio.

§. 97. Secundò, quia tollitur Christo libertas. iam ostendi eandem adimi consilio: Christus enim non potest exercere quod minus Deo placet, de quo egi disp. 63. Si ponamus cum Caietano puram omissionem esse possibilem, nec eam esse peccatum, res est facilis: Christus enim potuit se habere purè omisiuè, nec tunc peccaret, essetque liber in actibus, & impeccabilis in omissionibus. vnde potest non implete præceptum, & potest componere puram omissionem rei præcepti cum præcepto, & non potest peccare: hoc enim addit positium actum nolendi, quem Christus componere non potest cum præcepto. vel non præcipiuntur omnia motiua, & circumstantiæ; quo ex capite omnifacetus est immediatè liber. insuper liberè potuit fugere mortem recusans præceptum: vnde est liber in moriendo, & non moriendo; item & in omni actu. nec potest peccare, quia non potest componere nõ mortem cum acceptatione præcepti: necessitas autem moriendi otitur non à præcepto præcisè, sed cum acceptatione, quæ Christo fuit libera omnino.

§. 98. Tertiò arguit B. Anselmus, fore impium cogere ad mortem eum, qui nullum peccatum habuit. Respondeo nimis contendisse neruos libri *cur Deus homo*, ad probandum non fuisse possibilem alium modum nostræ redemptionis. nec alius Doctor negauit hanc potestatem Deo, qui potuit suo arbitratu dumtaxat occidere Christum, si quidem

Z 2 potuit

S. Thom.
q. 20. & 47.

potuit illi praecepere vt sineret se occidi. Respon-
 deo, illas esse exaggerationes; vel explicandum An-
 selmum non de potentia absoluta, sed ex supposi-
 tione quod Christum creauerat ad beatitudinem;
 nisi ipse se offerret sponte. Tandem sit impium di-
 rectum praeceptum mortis: at indirectum admittit
 Anselmus. item sit impium praeceptum obligans
 independenter à voluntate Christi; si autem libe-
 rum sit Christo illud recusare, cur erit impium? Ne-
 gat Anselmus praeceptum irreuocabile, non verò
 hoc reuocabile voluntate Christi.

SECTIO VI.

Vtrum omnia sint Christo praecepta?

§. 99. **N**egare videntur aliqui graues Patres
 omne praeceptum Christo. Aliqui Scho-
 lastici Doctores censent illi fuisse praeceptas minu-
 tissimas quascumque circumstantias, ita vt nihil
 vquam dixerit aut egerit, nisi ex praescripto Pa-
 tris. Ita censere videtur P. Suarez disp. 37. sect. 2.
 verf. *Hac responsio*. vbi asserit diuinare qui negat om-
 nes circumstantias esse praeceptas. Quam opinionem
 aperte docet P. Maldonatus in Ioan. 12. 49. existi-
 mans ex Euangelio confutari Theologos negantes
 omnia fuisse Christo praecepta. Card. Toletus in
 versum eundem, *Quia ex me ipso non sum locutus*. in
 comment. asserit, vsque ad minimam sententiã &
 iota dixisse Christum ex praecepto Patris: quod an-
 notat. 18. confirmare ex Athanasio videtur. clarius
 docet in c. 10. in id, *Hoc mandatum accepi*. annot. 16.
 verf. *Sit igitur prima*. Alvarez disp. 46. num. 12. &
 lib. 12. de Auxilijs disp. 22. num. 18.

§. 100. Primum fundamentum sit testimonium
 Christi Ioan. 12. 49. *Quia ego ex me ipso non sum locu-
 tus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid
 dicam, & quid loquar*. Secundò, quia Deus dixit Mo-
 si: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte
 monstratum est*, Exodi 25. 40. Tertio, quia maioris
 perfectionis est sequi in omnibus voluntatem Dei,
 quam propriam.

§. 101. Censeo Christo nõ fuisse praeceptas om-
 nes circumstantias intrinsecas & extrinsecas, sed
 fortè solas extrinsecas, & obiectiuas; at species
 actuum, numeros, intensionem, & alia id genus
 non fuisse praeceptas. ita censent PP. Vasquez disp.
 74. Lessius disp. de Libertate Christi sect. 3. nu. 42.
 verf. *Ad secundam confirmationem*. & verf. *Tertio si om-
 nia*. Monzeus disp. 9. vbi per circumstantias non
 praeceptas tuetur libertatem Christi. & quod caput
 est, est sententia B. Thomæ 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. vbi
 asserit Christum non peccare, quia ad hoc deter-
 minatus est, vt Beati; posse tamen eum eligere inter
 plura bona, & vt Beati possunt, quod aperte sup-
 ponit ei non esse praecepta determinata omnino
 bona, sed indeterminatè inter quæ potest eligere.
 in 3. dist. 18. q. 1. art. 2. ad 5. idem ait expressè, vbi et-
 iam insinuat opinionem Scoti & Nominalium as-
 serentium libertatem esse immunitatem à coactio-
 ne; eam tamen postea deseruit. Ab eadem sententia
 est P. Suarez disp. 37. sect. 4. verf. *Tertio de actibus
 praeceptis*: nec sibi est contrarius, quia in sect. 3. egit de
 circumstantijs obiectiuis, quæ quia finitæ sunt, po-
 tuere praescribi: at interiores habent quamdam in-
 finitatem, quæ vix potest praecepto ligari.

§. 102. Probationi præmitto, seruum inutilem

à Christo appellari eum, qui seruat omnia præce-
 pta, qui sicut nihil addit supererogationis siue con-
 silij, ita nihil gratiæ ei debetur vltra mercedè spon-
 sam pro obsequio; eum autem qui addit superero-
 gationis aliquid, non vocari seruum inutilem, sed
 strenuum & vigilem, cui vltra mercedem debitam
 pro obsequio in mandatis datur corollarium gra-
 tiæ & laudis specialis. qui solum seruat praecepta,
 non est omnino inutilis, siquidem arat, pascit bo-
 ues, mensam parat, & infert cibos: at id debet ex le-
 ge; quod nili faciat, non solum mercede carebit,
 sed extorquetur. at qui vltra praecepta addit consi-
 lia, est utilis, quia dat quod non debet, cui propter
 ea singulare præmium rependitur.

§. 103. *Recognosce apud Luc. 17. 7. Quis autem
 vestrum habens seruum arantem aut pascentem, qui re-
 gressus de agro dicat illi: Statim transi, recumbe: & non di-
 cat ei, Para quod coenam, & praeunge te, & ministra mi-
 hi donec manducem & bibam; & post hac tu manduca-
 bis & bibes? numquid gratiam habet seruo illi, quia fecit
 quæ ei imperauerat: non puto. Hæc Christus, non ne-
 gauit seruo victum, nec potum, vt patet; sed gra-
 tiam: quia cibus & potus est merces debita potius
 ex pacto quam gratiosa immediatè, & in se; quam-
 uis in prima gratia est gratiosa: negat autem ei gra-
 tiam, id est, congrarium vltra mercedem, & corol-
 larium, quod nõ debetur nisi adijcenci aliquid in-
 debitum ratione praecepti. concludit autem verf.
 10. *Sic & vos, cum feceritis omnia quæ praecepta sunt vo-
 bis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, feci-
 mus*. Scopus ergo eius parabolæ est exhortatio ad
 opera consilij, vt Deum vltra debitum praecepti
 nobis deiuicentes, gratia vltra mercedem de-
 bitam praeceptorum obseruationi donemur.*

§. 104. Origenes to. 2. lib. 3. in epist. ad Rom.
 tribus folijs post initium (in margine allegatur Lu-
 cæ 17.) totum hunc locum mirè in hunc sensum ex-
 ponit: *Propter hoc puto (inquit) & Dominum in Euange-
 lijs dare mandatæ, vt, cum omnia praecepta fecerimus, me-
 minerimus tamen quid simus, & dicamus; Serui inutiles
 sumus, quod debuimus facere, fecimus: donec enim quis hoc
 facit tantum quod debet, id est, ea quæ praecepta sunt, inuti-
 lis seruus est; si autem addas aliquid praeceptis, tunc non iam
 inutilis seruus eris, sed dicitur ad te: Euge serue bone & fi-
 delis. Quid autem est quod addatur praeceptis, & supra
 debitum fiat? Paulus Apostolus dicit: De virginibus
 praeceptum Domini non habeo; consilium autem do. hoc
 opus super praeceptum est. qui ergo completis praeceptis, addi-
 derit etiam hoc, vt virginitatem custodiat; non iam inuti-
 lis seruus, sed seruus bonus & fidelis vocabitur. & iterum
 praeceptum est, vt qui Euangelium annuntiant, de Euange-
 lio viuant: Paulus autem dicit, Quia nullo horum vsus
 sum; & ideo non inutilis erat seruus, sed fidelis & prudens.*

§. 105. Alludit autem Origenes ad 1. Cor. 9. 16.
*Si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim
 mihi incumbit: ve enim mihi est, si non euangelizauero, si
 enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus,
 dispensatio mihi credita est. quæ est ergo merces mea? vt
 Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium.
 gloriam propriam suam censet Apostolus, non præ-
 dicare Euangelium, quia id praeceptum est; sed il-
 lud prædicare nihil accipiendo ad victum, quod præ-
 ceptum non erat. Ita hunc locum Lucæ & Pauli
 exponunt recentes interpretes, recognosce præci-
 puè PP. Maldonatum in Lucas 17. 10. & Salme-
 ron tom. 7. tractat. 30. num. 10.*

§. 106. Hinc argumentor: Christus non est di-
 cendus